



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Secularia officia vendere, vel emere turpe est, & perniciosum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

Offic. secul. venal. 433

*Secularia officia vendere, vel emere
turpe est, & perniciosum.*

Officiorum secularium venalitas licet speculatiue
loquendo sit licita (quia venditio & emptio ha-
bet materiam vendibilem) vt tamen ad communem
humani generis morem contrahitur, turpis ac perni-
ciosa reipu. non parum est, quoniam viri digni repu-
tant indignum vt quod suæ virtuti debetur, pecunia
emant, & indigni communiter habent officia, vbi
sunt venalia. Tollitur & ratio studiorum bonorum,
& virtutum, ex eo quod non nisi pecunia habentur
officia. Et oportet vt non virtuosi, sed pecuniosi ibi
inueniantur, vbi vt perniciosi honorantur, imò ho-
norant seipfos emendo officia honorabilia. Præterea
qui prius emit officium, quum non emerit nisi vt
lucretur, oportet vt vendant actus officii, & plerun-
que iustitiæ, & inhumanus sit in gratiis, tanquam
ius habeat vendendi, & quæ sunt iustitiæ, & quæ
sunt gratiæ, quia prius emit. Testatur magistra re-
rum experientia, ruinam publicam vbi officia sunt
venalia. Et quia actiones humanæ iudicandæ sunt se-
cundum quod in pluribus inuenitur, ideò huiusmodi
venalitates vt abominabiles exterminandæ sunt.

*Sectarum æmulatores vel opinio-
num sæpenumero reprehensi-
biles habentur.*

Opinio tripliciter est illicita. Primò ex eo quod
voluntaria: nam in omni genere scibilibum vo-
luntaria est illicita: quia non eo quod magis placet,
sed eo quod rationabilior est, non ex voluntate, sed
ratione amplectēda est opinio. Et hinc errant secta-
rum æmulatores, opiniones suæ sectæ sequentes non
vt rationi magis consentaneas, sed quia nati sunt